

6. *Hypothesis* est figura, complures casus et conditiones ponens, ex quibus argumenta, similitudines et consequentia idonea colliguntur. E. g. Psalm. 138, 8. sqq.

7. *Ethopoeia* (Portrait) est descriptio ingenii, mortum et actionum hominum ad similitudinem veri expressa, vivida et ex animi indole acute deducta. E. g. Matth. 6, 2. 5. 23, 4. sqq.

### § 55.

#### Figurae affectivae.

1. *Exclamatio* est elatio et contentio vocis, eruptionem gaudii, doloris, admirationis, indignationis, abominationis aliorumque affectum significans. Tum una voce absolvitur, tum in totam sententiam aut plures sententias extenditur, et interjectionem adjectam vel subauditam habet. E. g. O tempora, o mores! Deum immortalem! Me miserum! Deinde Rom. 7, 24. 11, 33. Gal. 3, 1. Potest etiam formam interrogativam habere. E. g. Jerem. 9, 1. sqq. Matth. 23, 37. Aliquando ironia in ea latet.

2. *Epiphonema* (acclamatio) est sententia finalis praegnans, quae essentiam vel consecaria rei narratae aut probatae gravibus et efficacibus verbis enuntiat. E. g. Tantae molis erat, Romanam condere gentem. Item Matth. 23, 38. sq.

3. *Obsecratio* (deprecatio) est figura, precibus enixioribus auditores urgens, aut Dei vel hominum opem implorans. E. g. Joel. 2, 12. Si orator auditores per res eis gratas et sanctas obsecrat, tunc figura *adjuratio* vocatur. E. g. I. Cor. 1, 10.

4. *Obtestatio* est invocatio testimonii Dei, coelorum, mundi etc., ad veritatem, promissionem vel assertionem aliquam confirmandam. Nonnunquam verum *jusjurandum* est. Deut. 4, 26. II. Reg. 15, 21. II. Cor. 1, 23. Gal. 1, 20.

5. *Optatio* est appetitus alicujus boni, oratori vel aliis proficii, gravibus verbis declaratus. E. g. Isai. 64, 1. — Contraria ejus est *imprecatio vel execratio*, praesertim in A. T. frequentior. E. g. in psalmis imprecatoriis (34, 57, 58, 108, 136 etc.), item Job. c. 3. et Gal. 1, 9.

6. *Sermocinatio* est, quando orator alias personas, nonnunquam mortuas, fictas vel morales (populum) verbis gravibus et affectu plenis loquentes inducit. E. g. hymnus: Popule meus; dein Sap. 5, 4. sqq. Isai. 58, 3. sqq. Apoc. 6, 10. Huic similis est et saepe confunditur

7. *Prosopopoeia* (fictio personae), quae rebus inanimatis proprietates et epitheta entis viventis attribuit, imprimis res vita carentes tamquam viventes, sentientes, loquentes imo cum oratore colloquentes, et pruden-

ter agentes tractat vel producit. E. g. Isai. 24, 23. Jer. 47, 7. Hab. 2, 11. Luc. 19, 40.

8. *Apostrophe* (aversio ab objecto vel ab auditoribus) est allocutio unius vel plurium personarum praesentium vel absentium aut rerum plane inanimatarum. E. g. Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra?! Deinde Isai. 1, 2. 54, 1. sqq. Jer. 2, 12. 47, 6. Matth. 11, 21. sqq. — Minus recte vocatur apostrophe illud dicendi genus, quo orator ab objecto ad omnes auditores convertitur, eosque vehementer monet vel increpat, quod fit v. g. persona secunda singularis pro numero plurali utendo. E. g. Matth. c. 23. I. Cor. 4, 7.

9. *Hypotyposis* est depictio alicujus rei aut eventus tam vivida, ut quod depingitur quasi oculis cernatur ac spirare videatur. E. g. Prov. 31, 10. sqq. Isai. 60, 1—6. Thren. 1, 1. sqq. Dan. 5, 4—6. Nahum 2, 3—10.

10. *Visio poetica seu rhetorica* est figura, quae rem remotam, absconditam, futuram vel caelestem per imaginem animo obversantem describit, quasi auctor imaginem revera oculis compleetur. Aliquando auctor plane simulat et dicit se eas res vel eos eventus intueri. E. g. Jerem. 4, 21—31.

11. *Coacervatio* (epimone) est cumulatio multarum interrogationum, sententiarum profundarum atque inopinatarum, quibus orator auditores quasi in angustum compellit, convincit et confundit. E. g. I. Cor. c. 6.

### CAPUT TERTIUM.

#### De conditione loquentis.

(Investigatio sensus psychologico-historica.)

### § 56.

#### Conditionis notio, species et vis.

1. — Conditio personae loquentis est status ejusdem internus et externus, qui ad materiam, formam et sensum orationis aliquid confert. Per loquentem intelligitur tum auctor libri tum sermonis. Duplex autem conditio distinguitur: *interna* et *externa* seu subjectiva et objectiva. Conditio loquentis *interna* est quaevis animi vel corporis qualitas, facultas et actio, a qua id quod dicitur vel modus quo dicitur, ergo etiam sensus orationis dependet. Conditio autem *externa* est omnis res ac relatio extra loquentem sita, quae orationis materiam, formam et sensum constituit

ac determinat. Conditio ergo interna ad *personam loquentis* pertinet, conditio externa ad *circumstantias*.

2. — Conditiones loquentis *internae* sunt sequentes:

- a) subjectum sermonis (persona loquens),
- b) aetas et patria loquentis,<sup>1</sup>
- c) facta fataque ejusdem,
- d) cultura mentis loquentis,
- e) indoles et habitus moralis (character) loquentis,
- f) affectio animi loquentis,
- g) modus loquendi (tonus et gestus),
- h) consilium seu finis loquentis.

Conditiones loquentis *externae* seu circumstantiae sermonis sunt:

- a) occasio sermonis,
- b) primi lectores vel auditores,
- c) personae et res, de quibus agitur.

Conditiones loquentis internae et externae *cognoscuntur* ex historia, archaeologia et ex introductione in libros sacros, item ex fontibus ipsis harum disciplinarum. Fontes illi sunt: libri sacri utr. Test., dein versiones antiquae, scripta Judaeorum, praecipue Josephi Fl. et Philonis, libri apocryphi, tum S. Patres et alii antiqui scriptores Christiani, imo haeretici et gentiles, denique itineraria recentiora.

3. — *Regula: Interpres conditionem loquentis et internam et externam, seu personam loquentem et circumstantias rerum consideret, ex iisque sensum cognoscat.*

Ratio patet. Sermo namque et liber naturam auctoris participant, auctor autem causis ac rebus externis subjacet. Maxime autem cognitio auctoris et circumstantiarum necessaria est in libris antiquis, alienigenis, cum persona auctoris intime connexis, data occasione scriptis, in circumstantiis quasi radicatis, — quales sunt libri sacri.

Antiqui conditiones loquentis sequenti versiculo comprehenderunt:

Quis, scopus, impellens, sedes,<sup>2</sup> tempusque locusque,  
Et modus; haec septem Scripturae attendito lector.

<sup>1</sup> Aetas et patria, res per se externae, ad sermonem nihil conferunt, nisi quatènus personam auctoris informant atque afficiunt.

<sup>2</sup> Sedes significat locos fundamentales, seu ex professo de re agentes.

### § 57.

#### Persona loquens.

1. — Ut sensus et vis dictorum appareat, nosse imprimis oportet, *quisnam sit persona loquens.*

Persona viva voce loquens facile oculis auribusque cognoscitur; at scripti sermonis subjectum non semper appetet. Persona enim loquens oratione procedente quasi clam et furtim nonnunquam mutatur; e. g. Ps. 2. et 109. Isai. 22, 13. 58, 3. I. Cor. 15, 32.

Ignoratio autem loquentis sensum penitus pervertere potest. E. g. Ps. 52, 1. dicitur: *non est Deus*; cuius tamen dicti sensus cognita persona sic loquente (insipiente) statim convertitur. Personam in Bibliis loquentem nosse eo magis interest, quoniam quae sacri auctores ex aliorum sententia dicunt, vel ex libris non inspiratis (sine approbatione) citant, ac nonnunquam etiam opiniones privatae, quas proponunt: ea humana sunt, non inspirata. Ubi ergo de persona in Bibliis loquente agitur, saepe de ipsa inspiratione dictorum agitur.

*Regula generalis: Loquens habendus est ipse libri auctor, donec contrarium probatum non est.*

Auctorem autem loquentem non esse, ex indiciis sequentibus colligitur: a) Si auctor diserte alium loquentem inducit. Attendat tamen interpres et observet, ubinam auctor post verba aliena relata ad propositum revertatur, quod tum ex manifesta alienae orationis clausula, tum ex claris resumpti sermonis formulis, tum ex argumento et natura dictorum appetat. b) Quem auctor rejicit vel refutat, is certe alienus sermo habendus est. c) Testis conscientius et fidei dignus testari potest, auctorem vel loquentem aliquo loco sententiam alienam retulisse.

Sacri scriptores nonnunquam personam alienam induunt et ejus nomine loquuntur. E. g. Rom. 7, 7—25. Gal. 2, 18. sq. — Deinde prophetae saepe prima persona usi, tamquam de seipsis dicunt ea, quae in prototypos, quorum typi erant, vel in Deum per ipsos loquentem valent. (*Metaschematismus.*) E. g. Ps. 15, 8. sqq. Ps. 21. deinde 68, 10. Isai. 61, 1. (I. Cor. 4, 6. vox metaschematismi anakoinosim significat.)

2. — Loquens non semper ex propria sententia loquitur; sed sermonem suum menti aliorum accommodat. Id fit e. g. ex concessis argumentando, deinde argumento ad hominem, tum responsione ad mentem interrogantis utendo. (Joan. 1, 21. 5, 31. cf. 8, 14.) Sermo ita aliis accommodatus loquenti, aliquando plane

contraria sententi, attribui nequit. Quaeritur ergo, unde cognoscatur, *suane aliquis an ex aliorum sententia loquatur*. Id universim cognoscitur ex natura dictorum vel ex dicendi modo. Specialiter aliquis e propria sententia loqui praesumendus est:

a) Si sententiis aliunde notis et alias manifestatis convenienter loquitur, idest sibi non dissentit.

b) Si novas res profert, quas nemo antea dixit, et ideo loquens ab aliis accipere nequivit.

c) Si sententia auctori vel patrono suo non gratiam hominum vel commoda vitae, sed odium et persecutioe promittit atque affert.

d) Si auctor gravis et probus rem non casu atque obiter, sed ex professo tractat, fuse accurateque disserit, probat ac defendit, imo firmissime asseverat vel plane jurejurando confirmat.

e) Si loquens sua sponte, nulla occasione vel necessitate coactus, sententiam aperit, quum silere potest.

f) Si sententiam suam identidem et coram diversis auditoribus repetit, eamque mutatis circumstantiis non variat.

Contraria his conditionibus agendi ratio justam de persuasione et sinceritate loquentis suspicionem movet.

### § 58.

#### Allegatio Veteris Test. in Novo.

Mutatio personae loquentis est allegatio. Libri sacri imprimis Novi Test. alios libros sacros frequenter allegare solent. Allegationis multae sunt species modique diversi.

1. *Citatio et allusio*. Prior est adductio verborum alienorum directa aut obliqua; posterior est commemoratio personarum, rerum vel factorum alibi descriptorum, aut saltem respectus eorum. E. g. citationes sunt Matth. 2, 5. Marc. 12, 36. Joan. 12, 39. 19, 36. Act. 15, 16.; allusiones sunt Luc. 4, 25—27. 11, 29. sqq. Joan. 6, 31. Rom. 9, 7.

2. Allegatio est *illustrans, probans aut impletionem prophetiarum demonstrans*. Allegationes mere *ornativae* in Bibliis raro inveniuntur. E. g. illustrantes: Matth. 5, 21. 19, 18. 24, 37. Luc. 11, 29. sqq. Gal. 4, 22. sqq.; probantes: Matth. 21, 13. 16. 22, 44. Joan. 5, 10. 7, 38. 8, 5. Gal. 3, 8. sqq.; propheticæ: Matth. 1, 23. 2, 5, 18. Joan. 2, 17. 12, 15. 19, 36. sq. Act. 2, 17. sqq.

3. Allegatio est *expressa seu formalis et materialis*, prout libri vel auctoris expressa fit mentio, aut vero dictum sine fonte nominato

et sine ulla citandi formula adducitur. E. g. citationes formales sunt Matth. 22, 24. Marc. 7, 10. Luc. 20, 42. Joan. 12, 39. sq. Act. 3, 22. Rom. 9, 29.; materiales sunt Matth. 11, 5. Rom. 9, 7. I. Cor. 2, 16.

*Formulae*, quibus Ant. Test. in Novo adducitur sunt: *hoc factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per prophetam* (Matth. 1, 22 2, 23. etc.), *ut Scriptura impleretur* (Joan. 13, 18. 19, 24, 36.), *ut consummaretur Scriptura* (Joan. 19, 28.); deinde *dicitur, dictum est, (sicut) scriptum est* (Matth. 2, 5. 4, 4. 7, 10. 5, 21. Marc. 14, 27. Luc. 4, 12. Joan. 12, 14. Act. 15, 15. I. Cor. 10, 7. etc.), *quod scriptum est, oportet impleri* (Luc. 22, 37.), *Moyses, David, Isaias dixit, scripsit* (Matth. 22, 24. Marc. 7, 10. 12, 19. Luc. 20, 42. Joan. 12, 39. Act. 3, 22. Rom. 4, 6. 9, 29. 11, 9.), *David in Spiritu dicit* (Marc. 12, 36.), *sapientia Dei, Spiritus S. dixit* (Luc. 11, 49. Hebr. 3, 7.).

4. Allegatio est *accurata* i. e. ad verbum vel fere ad verbum, aut vero *ad sensum* idest secundum rei essentiam. Posterior, quae ex memoria fieri solet, modo textum mutilat ac contrahit, verba levioris momenti supprimendo, modo eum pluribus verbis explicat, modo synonymis vel paululum mutatis exprimit. Allegationes accuratae: Matth. 4, 4. Marc. 12, 36. Act. 2, 25. sqq. Rom. 3, 4.; ad sensum: Matth. 2, 6. Joan. 6, 45.

5. Citatio plerumque *versionem Alexandrinam* (accurate aut in essentia) sequitur, aetate apostolorum Judaeis et plane ethnico-christianis familiarem, rarius *textum Hebraicum*. E. g. versionem Alex. sequitur Matth. 27, 35. Rom. 15, 10.; textum Hebr. Matth. 2, 15. Joan. 19, 37. Rom. 12, 19.

6. Allegatio est *simplex, composita et commixta*, prout unus locus solus affertur, aut plures loci distincti contextuntur, aut plures loci in unum effatum (saepe alteri auctori soli attributum) conflantur. Plurimae allegationes sunt simplices, e. g. Matth. 27, 9, 10. Rom. 11, 8.; compositae sunt Marc. 1, 2, 3. (Malach. 3, 1. Is. 40, 3.), Matth. 21, 13. (Is. 56, 7. Jer. 7, 11.), II. Cor. 6, 16, 17. (Lev. 26, 12. Is. 52, 11.), et commixtae: Matth. 2, 23. (Gen. 49, 26. Is. 11, 1. 53, 2, 3.), 21, 5. (Is. 62, 11. et Zach. 9, 9.) Commixtio vaticiniorum etiam rabbiniæ erat usitata.

7. Allegatio est *nuda et explicata*. Prior verba aliena sola adducit, e. g. Matth. 4, 7. Rom. 10, 18.; posterior ea etiam explanat vel eorum consecatoria colligit, e. g. Marc. 12, 26. Act. 13, 35. sqq. Rom. 10, 6—8. Hebr. 1, 6. sqq.

8. Allegatio fit *sensu expresso aut illato* (accommodato vel consequenti). E. g. citationes accommodatae: I. Mach. 1, 41. et 57. 7, 17. Matth. 2, 18. Luc. 23, 46. Act. 13, 47. Rom. 8, 32. 10, 6—8, 18. I. Cor. 1, 31. II. Cor. 4, 13. 8, 15.

## § 59.

## Aetas, patria, facta et fata loquentis.

Sicut arbor solo, caelo, tempestate et cultura alitur ac formatur, ita homo ab aetate ac patria in quibus vivit, et a factis fatisque, quibus perfunctus est, dependet. Quum autem sermo sit velut fructus hominis, multum illae circumstantiae ad sermonem ipsum conferunt.

Imprimis aetas et patria culturam animi auctoris, ideas, moresque informant, linguam, stylum et materiam sermonis ei subministrant. Patria auctoris ignorata, versio facile pro textu originali putaretur. Facta fataque auctoris in operibus ejus tamquam speculis cernuntur, immo nonnunquam allegantur, rationemque dictorum reddunt.

E. g. qui aetatem et patriam sacrorum auctorum nescit, eorum dicendi modum saepius non intelligit. Multis psalmorum et epistolarum Paulinarum locis fata auctorum praebent commentarium. — Quomodo enim aliquis intelligere possit e. g. verba Pauli Gal. 1, 1. ubi se apostolum a Christo constitutum dicit, nisi historiam conversionis ejus noverit?! (Act. 9, 1—16.) Neque sollicitudo apostoli pro auctoritate sua apostolica ei probabitur, qui judaizantium calumnias ignoraverit. — Similiter locus II. Petr. 1, 17. 18., ubi Petrus ad visionem gloriae Christi et auditum Patris testimonium provocat, sine cognitione historiae transfigurationis intelligi nequit. (Matth. 17, 1—13.)

## § 60.

## Cultura mentis loquentis.

1. — Per culturam mentis intelligitur ingenium auctoris et cognitionum ejusdem summa atque perfectio, sive educatione sive propria experientia et studio acquisita, item modus, quo ille cogitata sensaque sua eloquitur. Cognitiones autem non tantum notiones et sententiae verae, sed etiam incertae ac falsae, puta dubia, opiniones praejudicatae atque errores intelliguntur. Imprimis cultura religiosa et moralis est summa ac perfectio cognitionum, quae ad Deum et hominis ad Deum relationem pertinent.

Sermonem ejusque sensum a cultura mentis dependere aperatum est. Specialiter cultura mentis plurimum confert ad materiam et formam orationis.

2. — *Orationis materia* est fructus culturae mentis auctoris.

Nam quivis tantum de rebus sibi notis, et modo, quo eas novit, verba facere potest. Cognitio ergo culturae animi loquentis necessaria est, maxime in sacris Scripturis, quae homines ingenio et eruditione diversos loquentes inducunt.

Notitia culturae auctoris sequentes interpreti affert *utilitates*.

a) *Sensus vocum, phrasium et sententiarum* in se obscuriorum et ambiguarum ea illustratur et determinatur.

E. g. quidnam in evangeliis sub regno Dei, coelorum aut Christi intelligendum sit, id ex ideis, ergo e cultura mentis eorum, qui loquuntur, cognosci potest. Aliud enim regnum Dei Judaei, scribæ, populus et apostoli cogitabant ac sperabant, aliud autem Christus Dominus constituit. Omnes quidem regnum Messianum per regnum Dei intelligebant; sed illi terrestre et materiale, Dominus autem spirituale et partim terrestre partim coeleste. Quibus cognitis intelliguntur: Matth. 3, 2. 4, 17. 6, 10. 20, 21. Luc. 17, 20. Joan. 3, 3. etc.

b) *Ratio dictorum et factorum* patescit, quod multum prodest ad intelligendum sermonem.

E. g. controversia rabbinica de divertio rationem reddit ac sensum pandit quaestionis, quam pharisei Christo proposuerunt Matth. 19, 3. sqq. — Doctrina sectarum Judaicarum cognita appareat, cur pharisei, sadducae et Herodiani Christum sic tentaverint, ut evangelista narrat Matth. 22, 15—40. — Quaestio: Elias es tu? propheta es tu? (Joan. 1, 21. cf. Matth. 17, 10.) — intelligi nequit, nisi sciamus, Judeos ante adventum Messiae Eliam aut aliquem alium ex antiquis prophetis venturum exspectasse.

c) In dubio dijudicari potest, utrum sententia aliqua *ad litteram et absolute, an secundum spiritum vel aliqua ex parte accipienda sit*. Omne enim dictum ideis et sententiis auctoris aliunde notis congruenter est interpretandum.

E. g. præcepta non jurandi omnino (Matth. 5, 34.), non resistendi malo (Matth. 5, 39.), aliis Christi et apostolorum dictis factisque probantibus non ad litteram, sed secundum spiritum sunt observanda. — Verba S. Pauli: *oportet episcopum esse unius uxoris virum* (I. Tim. 3, 2.) de sententia apostoli alias aperta non possunt præceptum uxorem ducendi vel improbationem caelibatus significare. Conf. I. Cor. 7, 7. 25. sqq. 32—40.

Notanda est adhuc sequens

*Regula: Non licet Antiquo Testamento ideas Novi peculiares attribuere aut vero vi ingerere.*

E. g. dogma SS. Trinitatis in antiquo testamento, nisi obscuris allusionibus, revelatum non erat; hinc non licet locis Antiqui Testamenti expressam SS. Trinitatis vel personarum divinarum mentionem supponere. — Idem dicendum de pracepto dilectionis proximi et imprimis inimicorum, quod Antiquo Testamento attribuendum non est, nisi imperfectum.

3. — *Orationis forma* seu dicendi et narrandi modus pariter culturae mentis opus est, et ex hac penitus intelligitur.

Forma orationis dependet ab ingenio, scientia rerum, idearum ac verborum copia, cogitandi modo atque ordine, imaginatione, affectibus animi, educatione et exercitio. Itaque sicut cultura mentis, ita ipsa orationis forma pro diversis temporibus, locis, hominum classibus, imo singulis hominibus diversa est, adeo, ut hominis qualitas specialis atque individualis plerumque ex elocutione cognoscatur. (Le style c'est l'homme.) Imprimis auctores biblici, patria orientales, aetate antiqui, cultura inter se ac nobis dispares et Spiritu Sancto illuminati ac moti, peculiarem habent orationis formam, sine qua sermo eorum vix aut omnino non intelligitur.

### § 61.

#### *Indoles et character loquentis.*

1. — Indoles est inclinatio nativa, a qualitate animi et corporis profecta, ad certum sentiendi et agendi modum. Indoles, in quantum a constitutione corporis (nervorum) dependet, temperamentum vocatur. Character autem est consulta et firma actionum ad finem ratione propositum directio, repetitis actibus liberis habitus instar acquisita.

Indoles (et temperamentum) cum homine nascitur saltem ut potentia; character a homine ipso educatione vel liberis actibus formatur. Formatio autem characteris naturali indole juvatur aut impeditur, huic tamen non est absolute subjecta. Voluntas enim libera naturalem indolem regere potest atque coercere, corrigere aut depravare.

2. — Indoles et character cogitata, sensa, dicta atque facta hominis gignit, horumque rationem reddit. Quod in charactere latet, oratione patet — saltem plerumque. (Conf. Matth. 7, 18. 12, 34.) Ideo cognitio indolis et characteris auctoris vel aliorum loquentium atque agentium, sensum orationis illustrat et aperit.

Specialiter ex indole et charactere cognoscitur

a) *Ratio eorum, quae aliquis dicit vel agit.*

E. g. nemo dicta et facta S. Petri apostoli ante effusionem Spiritus Sancti intelliget, qui naturalem indolem et temperamentum ejus vividum, irritabile atque affectu plenum ignoraverit vel oblitus erit. Animus repente mutabilis appetit in miraculo piscatu (Luc. 5, 1—8.), in promptis ejus fidei amorisque professionibus (Matth. 16, 16. 19, 27. Joan. 6, 69. sq.), in conatu Christum super undas ambularem asse- quendi et in pavore ac diffidentia mergi incipientis (Matth. 14, 28. 30.), in recusato pedum lavacro et mox petita capitidis manuumque lotione (Joan. 13, 6—9.), in Christi negatione (Joan. 18, 15—27.) post iteratum fidelitatis mori paratae votum (Matth. 26, 33. Luc. 22, 33. Joan. 13, 37.) et gladii usum (Joan. 18, 10.), item in amaris lacrimis, magistri aspectu elicitis (Luc. 22, 62.). — Nec non etiam ex indole animi intelligitur difficultas fidei S. Thomae (Joan. 20, 25.). — Agendi ratio pharisaeorum et legis peritorum cum Christo, invidia, odium, calumniae, captiosae interrogations, condemnatio innocentis: omnia ex hypocrisi eorum, captatione favoris popularis, superbo, immiti et veritatis impati- enti animo emanant. — Inconstantia Pilati, Christi innocentiam professi ejusque causam contra Judaeos defendantis et mox eum condemnantis, mira certe videbitur ei, qui nesciverit, Pilatum recti quidem et justi sensu non caruisse, at mobilem animo, proprii commodi studiosum, multorumque injuste factorum conscientia, gratiae caesaris jactu- ram severamque facinorum suorum cognitionem ac poenam timuisse.

b) Ex indole et charactere cognoscitur *affectus loquentis*. Homines enim pro diversa indole et diverso charactere varios in iisdem casibus ac circumstantiis sentiunt animi motus.

E. g. res aliorum prosperas videns unus laetatur, alter invidet. Eadem Christi miracula discipulorum fidem et inimicorum odium auxe- runt, sicut calor solis alia corpora mollit, alia indurat.

c) Ipsa *affectuum qualitas et honestas* saepe ex charactere sub- jecti pendet. Gaudere et dolere, irasci, diras imprecari et similia pro charactere agentis honesta sunt aut turpia. Character enim causas moventes parit, hae autem qualitatem actionis moralem continent.

Aliud est ex zelo religioso peccatis irasci, et aliud ex invidia vel odio peccatori vel plane innocentis succensere. Alter iratus est Christus Dominus pharisaeos increpans (Matth. c. 23.) vel negotiatores templo expellens (Joan. 2, 15. Matth. 21, 12.), et alter irati sunt scribæ ac pharisaei Christum calumniantes et ad supplicium tradentes.

3. — *Regula: Omnis sensus, qui characteri loquentis vel agentis morali repugnat, rejiciendus est.* Quem constat virum gravem esse, ejus verba in re seria non licet pro nugis vel